

B

V

W



- 1 Gregorius Nazianzenus ἡ ἑξοδὸς κατὰ ἑσπερίαν τῶν προδικαδῆς.
- 2 Gregorij Nyssemi ad Eustathiam & Ambrosiam, et Basiliscam, Epistola.
- 3 Πλάτωνος λόγος περὶ ἡρώων.
- 4 Λεωνίου περὶ τῆς πύλης καθ' ἡμέραν πικροῦ ἢ διαβολῆς. cum epistola Casel. ad Ernestum ab
- 5 Caselij Epitaphios Joann. Borckholdo perscriptus.
- 6 — — — — — Pindar, sive Magister dicendi.
- 7 Demosthenis περὶ φιλίας λόγος.
- 8 Caselij Νέος καὶ προδικαδῆς.
- 9 — — — — — De Nobilitate libellus.
- 10 — — — — — Περὶ ἀγωγῆς duo in Educatione principum.
- 11 — — — — — Epistola de obitu Magni Zanoseij, ad Thomam Zanoseij fratrem.
- 12 Alberti Clamij Mithras Arcadius, et pauca alia poemata.
- 13 Laurent. Rhodomani Epitaphios Manibus Magni Zanoseij, cum Epistolis aliquot Casel.
- 14 Theodori Adami Panegyricus solenni introducta Acad. Julia die habitus.
- 15 Bartholomaei Coppen Oratio funebris de obitu princip. Frid. IV. Comit. Palatin.
- 16 Rudolphi Diepholdi Nona April. in Natal. 21 princip. Frid. Vlder. Duc. Brun.
- 17 Christophorij Heidmanni Oratio de Verbo ac primo hominis bono.
- 18 Reditus in patriam ex peregrinatione aliquot annorum, Frid. Vlder. Ducis Brunsvic.
- 19 Adami Luchtenij oratio in resignatione Magistratus scholast. ubi adde Calumnia.
- 20 — — — — — Programma de obitu Ioan. Carol. Caselij.
- 21 — — — — — programma de obitu Henrici Julij a Lippa.
- 22 — — — — — programma de obitu Friderici Paracorsij.
- 23 Tobia Paumestteij epistola respons. ad litteras Ioan. Marselij.
- 24 Caselij epistola ad nuptias Henrici Julij Wittershaejm.
- 25 Conradii Horneij Epitaphios Polycarpi Lysenij consecrat.
- 26 — — — — — Carmen ad nuptias Henningi von der Döbelnburg.
- 27 — — — — — Gratulatio Adamo Luchtenio de Restorata scripta.
- 28 — — — — — Carmen ad Simonem Struvium, in Ethic. disput.
- 29 Quorundam doctorum virorum, carmina Cornelio Martini scripta.
- 30 Conradii Rittershufii epistola ad Andream Paull. patricium Brunsvic.
- 31 Caselij epistola ad Senatorem Göttingensem.

Sequuntur et pauca alia materia quare titulos et auctores  
huc ascribi e charta angustia non passura erat.





oda  
ab

Sb! 00 F

afek

lin  
Bau

ic:

ia





1. ?  
2. Cabelius od

H O V 7





# PROGRAMMA

In luctuosissimo funere primarij  
adolescentis,

HENRICI IVLII ALIPPA,

*A Magnifico & clarissimo viro, dn. D. ADAMO  
LVCHTENIO, artis medica professore publi-  
co, Prouicerectore academiae  
Iuliae,*


XVI. Kal. Xbr. P. P.



HELMMAESTADI,  
Ex officina typographica Iacobi Lucij,

ANNO clō. Iō. cXI.



  
**PROVICERECTOR ACADEMIÆ  
IVLIÆ, ADAMVS LVCHTENIVS,**  
*artis medicæ D. & professor, academica iurisdictioni subie-*  
*ctis, & beneuolis quibusq; lectoribus,*  
**S. P. D.**



Erba facturus de insperato & supra modum miserabili casu, prorsus apud animum hæreo, quemadmodum hoc negotium oratione tractem, aut etiam vnde mihi initium scribendi sumam, vt animo turbatis, & dolore deiectis, aut sapienti lectori vtcumque satisfaciam. Occasio mihi sit, & amplissimus se campus aperiat ad deplorandam vitæ mortalium incertitudinem & miseriam. Hoc autem quidni & nobis liceat, factitatum omnibus sæculis in vniuerso terrarum orbe, primùm à poëtis, ab oratoribus, & scriptoribus, vt verbo dicam, omnis generis: è quorum monumentis si singula dicta quis coaceruet, volumen facile conficiat. Neq; sapientes hac in re se aliter gesserunt, & prophetas legimus, passim æ-

rumnas



rumnas humani generis alijs atq; alijs verbis de-  
clarantes, deniq; regum sapientissimus, qui cum  
quæ optima essent, aut censerentur, & ipsam sa-  
pientiam possideret, cuius ille solius fuerat siti-  
entissimus, in breuem hanc sed acrem exclama-  
tionem erupit: H A B E L H A B E L I M, H A C C O L  
H A B E L הַבֵּל הַכֹּל הַכֹּל הַבְּלִים הַבֵּל *Vanitas vanitatum,*  
*& omnia vanitas.* Quod si prima & summa o-  
mnium, quorum quis mortalium particeps  
queat fieri, habenda sunt in meris inanijs, quid  
de minutis statuemus? quid de ijs, à quibus no-  
strum vnumquemq; natura abhorrere iubet?  
ad quorum saltem recensitionem vel fortissimus  
quisq; concidat aut cohorrescat. Quando vero  
deplorationibus & lacrymis non solum nihil  
proficitur, sed dolor, si interdum mollitur, poti-  
us tamen augetur & propagatur; satius sit ab il-  
lis omnibus oculos & animos aliò, aut saltem  
ad solatij desiderium conuertere. Velit autem  
lector sibi exponi casum miserabilem: qui hic  
apud nos degunt, sciunt, quemadmodum pro-  
pridie id. Nouembr. primarius adolescens, HEN-  
RICVS IVLIVS à LIPPA, amplissimi & pru-  
dentissimi viri, GEORGII BURCHARDI à



LIPPA filius, vix ex ephebis egressus, magni  
primùm ingenij, vt natus parentibus primarijs,  
elegantia morum præditus, quòd à primis incu-  
nabulis educatus, in bonis item litteris à puero  
domi initio eruditus, & triennio abhinc sacris  
musarum de more academico initiatus, aliquot  
ante mensibus huc reuersus cum fratre mino-  
re, GEORGIO BURCHARDO à LIPPA, no-  
biscum cæpit viuere in academia Iulia: hic pri-  
mæ expectationis adolescens, quo dixi die, al-  
tera tertiæ à cæna hora, è foribus hospitis pro-  
diens, cultro ad gulam ab adstante foribus vici-  
næ domus confossus, ex illo vulnere repente  
in via ante domum concidit, & proh dolor, eo-  
dem temporis puncto, expirauit. Hæc ita se  
habere affirmatur ab omnibus. Nec longin-  
quiorem hospitem his plura nunc docere atti-  
net, neq; facile fieri possit, rebus ne nunc qui-  
dem nobis satis exploratis omnibus. Soli duo  
erant præ foribus, etsi Lippius esse in viuis desi-  
nebat: nec fuisset, qui in ædes referret, neq; stre-  
pitus auditus fuerat: ancillula, quæ fortè quid  
fieret, viderat, neq; prorsus tamen cognouerat,  
intrò ilicò pertulit nuncium, quem neq; ipsa  
dum



dum adhuc satis cognouerat: assurgitur, excur-  
ritur, accurritur ad exanimem: conturbari o-  
mnes, præ omnibus hospes, collega noster, CL.  
HENRICVS MEIBOMIVS, apud quem du-  
os filios viuere & educari voluerat, ipsisq; pæda-  
gogum præfecerat, & litteratum & modestum,  
pater prudentissimus, de salute suorum, pro pa-  
terno affectu, semper sollicitus: verum humanæ  
prudentiæ vis non valet in omnium aduersita-  
tum impetus. Itaq; etiam frustra & temerè plæ-  
rumq; alij culpant alios, hoc factum, illud non  
factum oportuisse, ab exitu rei demum aientes:  
æquiores in medio relinquunt omnia, ni quem  
fortè omnis culpæ suspicione liberum censeant.  
Bonis de bonorum fide dubitare in mentem  
non venit. Vt vidit hoc Lippiadæ fatum Mei-  
bomius, quid non obstupuerit? atq; vbi se non  
nihil collegit, non mirum, quod & ipse copiosè  
lacrymas profudit: quod dignitatem boni con-  
stantisq; viri non minuit, non dubium idem hu-  
manitatis argumentum: nunciauit eadem hora  
omnia primo magistratui: ipse igitur absq; mo-  
ra intempesta nocte adueni, si quid consulen-  
dum foret, aut faciendum. Non minus, quam

A 2

hospes



hospes & familiarissimi quiq;, condolere paren-  
tibus mœstissimis statim cæpit academia. Ete-  
nim senem Lippium, virum integerrimum no-  
uimus, nobisq; amicissimum cognouimus, &  
cum præsto esset duci serenissimo in aula, & ex  
quo sedem suarum fortunarum fixit in hac vi-  
cinia ad saltum Elmianum: neq; est quisquam  
nostrum, quin viri erga se beneuolentiam per-  
spexerit: gratulabatur academiæ, si qua affulge-  
ret felicitas, dolebat, si quid eueniret incommo-  
di, qualia his annis crebra sensimus: neq; nulla  
consilio & auctoritate constituit. Altera quo-  
que dolendi nobis, neq; ipsa leuis, caussa est,  
quod academiæ ex eiusmodi casibus malè audi-  
unt. Non minus enim, quàm regiæ & ciuita-  
tes, obnoxia sunt calumnijs academiæ: animad-  
uertunt enim, & primi quiq;, & populus, in o-  
mnia, quæ geruntur in academijs: quæ præcla-  
rè fiunt, plæriq; non intelligunt, nec agnoscunt,  
etiamsi intelligant. Expectantur à nobis, & fla-  
gitantur, omnia perfectissima, quæ in mortaliũ  
consuetudine sunt nusquam gentium: atq; hæc  
caussa est, quòd nullus vicus, nullus ordo est abs-  
que legibus. Sunt autem academiæ Iuliæ le-  
ges



ges latæ omnes bono consilio, cumq; ijs vt fit,  
obtemperaretur negligentius, necessaria se-  
ueritas pridē accessit. Non conuiuere nos, ar-  
gumento est, quòd nonnulli etiam de asperita-  
te nostra queruntur, qua in modestos non vti-  
mur, sed illa his patrocinaur, vt magistratum  
decet: & porrò omnem operam dabimus, vt iu-  
stitiæ & tranquillitatis publicæ ratio habeatur,  
quàm accuratissimè fieri potest. In eiusmodi ca-  
su, qui corrigi amplius non potest, quos ille  
maximè afficit, quærendum est, quantum po-  
test, & suggerendum solatij. Intelligit hanc  
nostram non simulatam *συμπάθειαν* in hac summa  
mœstitia vir amplissimus, GEORG. BURCHAR-  
DVS à LIPPA, & hoc erga se singulare studi-  
um: cumq; in rebus arduis ab adolescentia du-  
ci nostro seruerit, neq; ignoret instabilitatem  
& vicissitudinem rerum humanarum, secunda  
cum sinistris absq; dubio ipse comparat: cum-  
que res secundas moderatè semper tulerit, neq;  
nunquam antè itidem aduersas, hunc tristissi-  
mum casum, vti virum fortem & prudentem  
decet, ferat: & fert omnino, neq; aliud nobis  
de ipsius constantia, atq; etiam pietate erga sum-  
mum



num directorem omnium pollicemur: quo in-  
sciente nihil omnium fieri, statuere, atq; credere,  
sanctum est. Habet etiam, qui onus hoc, quan-  
tumuis grauissimum, vna ferant, præstantissimū  
fratrem, annis maiorem C H R I S T O P H O R V M  
à L I P P A in Dersem, & generum, H E N R I C V M  
I V L I V M à V V I T T E R S H E I M , virum nobi-  
lem, I C tū clarissimum: ambo ipsi statim præ-  
sto fuerunt, præsto etiam hodie sunt in deducti-  
one funeris, præsto porro erunt, quamdiu o-  
pus erit: hi simul ipsius incredibili tristitia deie-  
ctam matrem erigent: neq; deerunt his omni-  
bus ecclesiastæ, qui tum vota ad Deum faciant,  
tum consolationes depromant è sacris myro-  
thecijs. Cœlestibus autem oraculis & præce-  
ptis stare vniuersos oportet, ac ne quidem in  
minimo determinationi diuinæ reluctari cui-  
quam licet. Omnibus autem præcipitur, & ad  
omnes pertinet: Α Λ Λ Η Λ Ω Ν Α Χ Θ Η Β Α Σ Τ Α Ζ Ε Τ Ε:  
pertinet tamen secundum sanguine & affinitate  
proximos proximè ad omnes ordinis academici,  
quando & humanitatem & pietatem profite-  
mur præ omnibus, & præstare præ plærisq; de-  
bemus. Tribus verbis dicitur, quod fortè ad  
intel-



intelligendum obscurius sit, quàm existimes, ad præstandum difficilius, quàm vt à pluribus & religiosè obseruetur. Ad subeunda mutua onera, cum suum vnusquisq; onus ferat, hic fortè grauius, illic leuius, nos offerre vltro iubemur, vt non solum compareamus, sed illa subeamus, non humeris, sed animis, studijs, consilijs, & omnibus officijs. Reliquum fuerat, quod hodiè agitur, vt exanime corpus sepulcro de more conderetur. Eas ipsas igitur longè carissimi filij reliquias, iam nunc parentes in monumentum sibi suisq; à se conditum cum solennitate cum lacrymis tristes inferunt. Schœningam enim perlatum fuit corpus: neq; nostrum nulli illic vna procedunt. Nos in hac vrbe, præsertim moniti & rogati hunc item honorem honoratæ familiæ habeamus, vt frequentes eadem hora in ædem sacram ad preces publicas pijs cum cæremonijs prodeamus. Faciemus humanissimis viris, amicis academiæ, hoc est, nobis, officium non minùs debitum, quàm gratum, sed nobismetipsis necessarium: vnde facile perspicitur, quod qui seruit bona fide alteri, sibi seruit maximè, itaq; alleuat suum onus, qui

B

de





de onere alterius in se aliquid æquo animo suscipit. Vt autem seriò nos commendemus tradamusq; in clientelam patroni omnium maximi & certissimi, hic miserabilis casus nos monet, & tantum non obtestatur. Præter supplicationes, quas faciemus cum subiectione maiestati summæ debita, & vera minimeq; simulata pœnitentia, meminerimus & sequamur, quod omnibus in ore est, Paulinum illud dico ΑΚΡΙΒΩΣ ΠΕΡΙΠΑΤΕΪΤΕ. Est enim vnicuiq; nostrum opus, & adprimè necessariū, vt nequaquam cursum præcipitemus, sed lentè defixis in viam oculis vestigia firmiter plantis imprimamus, nec aliò aberrante animo. Iter namq; huius humanæ vitæ vniforme non est, neq; vlllo loco periculo vacat, per deserta, per paludes, in lubricis, in asperis, vtinam nunquam in præcipitio, quod miseris crebro imminet. Itaq; nihil negligenter nobis agendum, perpetua, quantaq; fieri potest cura omnia: sed ope diuina multo maximè, quam promisit quidem benignissimus pater, sed à se idem peti etiam iussit, nos indies sub solemnum votorum clausulam petimus. Neq; solum enim variij casus vniuscuiusq; cervicibus  
totis



totis sæpe populis imminent, sed etiam nobis  
inter nos priuatim per inimicitias, publicè per  
bella, exitia paramus: neq; non singuli culpam  
sustinemus grauem, negligentia, petulantia, in-  
dulgentia animi motuum, consiliorum prauita-  
te: deniq; occasionibus fomenta suggerit Satan,  
de quibus omnibus consulendæ sunt sacræ lit-  
teræ, & audiendi auscultandiq; oraculorum cœ-  
lestium interpretes. Vale lector beneuole.

Helmæst. in acad. Iul. XVI. Kal. Xbr.

cl̄o Is cXI.

---

ΜΗ ΕΙΣ ΕΝΕΓΚΗΣ.



*Q*uam miseri sumus in terris, quocunq; sub axe,  
Siue casas humiles colimus, siue atria regum,  
Ecunis reliquum per vitæ, ad triste feretrum,  
Vel culpa nostrapte, vel hostis fraudi manûue,  
Vel dirigenij technis, vel sorte maligna.  
Nam genus hoc nostrum varij miserabile casus  
Multimodis agitant hominum, quos antè videre  
Nemo potest, & consilijs auertere nemo:  
Quales præcipites lapsus, subitaq; ruinæ  
Fulmina de cælo, eontectæ rupibus vrbes,  
Multaq; terribili fremitu maris obruta tellus.  
Quid memorem fumum, qui terra noxius halat?

B 2

Quid



Quid varias pestes magnum per inane volantes,  
Nec momentum abit, ut non plurima millia tollant.  
Et tigres & apros, crocodilos, aspidas, vrsos,  
Quæq; pijs musis non sunt benè cognita, mittam.  
Namq; etiam ratione queunt aliquando fugari.  
Illa sed haud video quo duro nomine dicam.  
Quæ tanto imperio iubeant nos esse modestos:  
Nos tamen inter nos studio mala plura ciemus:  
Non domus est sine lite, nec est vicinia, non sunt  
Oppida: seditio populos infestat & vrbes:  
In campis equitum turmas peditumq; cohortes  
Conspicias, reges complerunt classibus æquor.  
Causæ sunt nibili, de rebus quæq; caducis,  
(Et pro quaq; placet cuius occasio quæuis)  
Imperium, vel opes, vel honor, sceptriq; cupido,  
Vel rabies animi, vel turbandi vna voluptas:  
Namq; hodie, quæ sint verè bona, nemo requirit,  
Qui faciat, summis ita sit ludibrio, ut imis.

Ad vnum legimus






155592

X2204159

VD 17











# PROGRAMMA

In luctuosissimo funere primarij  
adolescentis,

HENRICI IVLII A LIPPA,

*A Magnifico & clarissimo viro, dn. D. ADAMO  
LVCHTENIO, artis medicae professore publi-  
co, Prouincerectore academia*

*Julia,*

XVI. Kal. Xbr. P. P.



HELMAESTADI,

Ex officina typographica Iacobi Lucij,

ANNO clō. Iō. cXI.

